

pervenire potest, & cum fidelitate excepto fodro regali, & salva fidelitate nostra. Statuentes quoque præcipimus, ut nullus Archiepiscopus, nec Episcopus, nec Dux, nec Marchio, nec Comes, nec Civitas, nec Consules, nulla potestas, nulla persona magna, vel parva præfatum Marchionem illum suos hæredes in hac concessione, & donatione, & investitura nostra de prædictis castris, possessionibus, & villis inquietare, molestare, vel in aliquo disvestire præsumant. Quod si quis facere præsumperit pro pœna mille libras auri componat, dimidium cameræ nostræ, & dimidium præfato Marchioni, suisque hæredibus: hujus donationis, & investituræ testes sunt, Guido comes Blandratenfis, Geneardus de Lukemberch, Marquerdus D'orobach, Ubertus filius comitis de Blandrata, Henricus Mariscalcus, Arnaldus, Barbavaria, & Lorgeardus Pincerna, Bodgerus Casmarius. Signum D. Federici Romanorum Imperatoris invictissimi. Ego Christianus Canzellarus vicedomini Reinaldi Colonnen. Electi in Italia Archicanzellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 1164. indict. 2. regnante Domino Federico Imperatore victoriosissimo, anno regni ejusdem XII. imperii vero X. feliciter amen. Dat. in castro Belfort. III. non. octobris. Extractum hoc exemplum a prænotata scriptura carente sigillo, & habente characteres supra annotatos, & pro fide subscripsi.

Princivallus.

*Conventiones inter Anselmum Episc. Asten.
& Commune Alexandria circa homines
Quargnenti.*

M C L X V I I I.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXVIII., VIII. cal. novemb. Hic est tenor pacti, & conventionis Quargnenti inter Episcopum Anselmum Astensem, & commune Alexandria, quod Episcopus Astensis debet dare quadraginta de melioribus hominibus, qui sunt Quargnenti pro habitando in civitate Alexandria, qui debent subire onera civitatis, in faciendo ponte, & fossato, & aliis oneribus civitatis, & omnes etiam, qui morantur in villa debent subire onera civitatis, excepto quod non debent habitare in civitate Alexandria sine præcepto præfulis, & istud facere debent salvis justitiis, & rationibus, & consuetudinibus, & distinctionibus quas hæcenus habuerunt, & ipse, & prædecessores ejus. Si quis vellet contradicere Episcopo in suis rationibus, & justitiis Quargnenti, & Consules Alexandria cum toto Communi civitatis promittunt, & tenentur pro posse ipsum juvare. Huic pacto, & conventioni, nec ipse Episcopus Anselmus, nec aliquis ejus successor ullo tempore contradicere debet. Actum est hoc in præsentia consulum Mauri Lechi, & Ahati, & Jacobi, & Vermi Fraxonis, & Alirami, & Uberti de Foro, & Germani de Cella, & Vermi Colombi, & Amedei de Fiblinis, & Oberti, & Robaldi de Monte magno, & Manfredi de Viariso, & Manfredi de Isola.

Deditio villæ Castelletti populo Alexandrino.

M C L X I X.

Anno Domini MCLXIX. indict. II. in medio mense martii in villa Castelletti in superiori parte prope Ecclesiam sancti Innocentii præsentia testium, quorum nomina subter leguntur. Bernardus Agneia, & Manfredus de Pulte, & Ubertus de Babilonia, & Anneus, & Adalardus, & Opizzo, & Oculus-grossus, & Racherius donaverunt ex mera liberalitate Alexandrino populo castrum Castelletti, & villam cum omnibus suis pertinentiis sine omni sua contradictione, & suorum heredum, ac proheredum, ita ut habeat, & teneat in perpetuum &c. Signa manuum Bernardi Agneia, & Manfredi, & Uberti.

Signa manuum Alberti de Maxio, Pugni de Gamundio, Uberti de Foro, Manfredi Vicecomiti, Pectine, Caneva, Jacobi de Inveraldo testium.

Conventio inter Astenses, & Alexandrinos.

M C L X I X.

In nomine Domini, ut omnis fomes discordiæ eradicator, & perpetua concordia conservetur inter Astenses, & Alexandrinos dictos juxta flumen Tanari habitantes tale pactum sub juramento inter eos firmatum est. Jurant bona fide adjuvare Alexandrinos contra Marchionem Montisferrati, & contra Comitem Blandrati omni occasione remota, & contra aliquam singularem personam, vel contra aliquos alios homines. Item jurant bona fide salvare, & custodire Alexandrinos, & eorum res, & bona, universos cives Alexandrinos, & eorum jurisdictionem prædicta civitate, & ejus jurisdictionem habitantes, & tota jurisdictione sua, & alibi ubique suo posse bona fide. Item jurant bona fide facere justitiam Alexandrinis Astensium conquerentibus, nec cambium facient excepto a principali debitore, aut fidejussore, sed in persona nunquam. Item jurant bona fide, quod non accipient pedagium, aut teloneum, scilicet curiam, vel alium honorem ab aliquo Alexandrino in Hastæ, nec in ejus jurisdictione. Item jurant quod non vetabunt aliquibus mercatoribus, negotiatoribus, undecumque veniant sive per terram, sive per aquam, qui veniant Hastæ cum negotiatione sua eundo, & redeundo. Item jurant bona fide, quod facient Alexandria semel in anno expeditionem cum militibus, & peditibus, si eis ab Alexandrinis imperatum fuerit suis expensis, & amissionibus, nec derelinquent eos in expeditione infra mensem unum absque voluntate illorum, quorum subsidio interfuerint, nec dimittent eos in obsidione castri obsessi utriusque partis voluntate absque voluntate eorum, quorum servitio extiterint, & quoties Alexandriam mandaverint sibi cum militibus in adiutorium properare, properabunt, & venient in primo sero suis expensis, & perditis, & duos menses suis perditis, sed Alexandrinorum expensis. Item omnibus locis, aut hominibus, quos communi consilio Astensium Consulum, & Credentiæ, & Alexandria Consulum, & Credentiæ, omnium scilicet, aut majoris partis acceperint, utrique hoc jureju-